

**Disputatio physica de affectibus humanis in genere ... / submittant  
Johann-Enoch Blechschmiedt ... respondens G. Schröter.**

**Contributors**

Schroeter, Michael Gottlieb.  
Blechschmiedt, Johann Enoch.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

Leipzig : C. Scholvinus, 1679.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dwdmfaja>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

47.

9

F. D. A!

DISPUTATIO PHYSICA.

De

# AFFECTIBUS

HUMANIS IN GENERE,

Quam

JUVANTE TRINUNO

Inclytæ Amplissimæqve Facultatis Philosophicæ indultu

in

Alma hac Academica

Placidæ Eruditorum ventilationi publicè submitunt

M. JOHANN - ENOCH

Bleischmiedt /

Schneebergâ Misnicus SS, Theolog, Studios.

&

RESPONDENS

MICHAEL - Gottlieb Schröder / Regiomont.

March, Philos. & Theol. Stud.

Ad diem XV. Martii A. S. R. M. DC. LXXIX.

H. L. Q. C.

---

L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.



DISPUTATIO DE VICA

ALFREDO

HUMANIS IN GENIIS

JUVANTE TENENDO

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE


ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE

ALMA MATER ACADEMIAE





## PRÆFATIO.

**S**icuti in rerum Spiritualium Scientiam penetrandam nimia veterum curiositas obscuram nobis valdè & multis erroribus intricatam reddidit, quam de anima accepimus doctrinam, ita haud minorem hallucinandi materiem Pomum Eridos aut nodum gordium, cui Alexander aliquis solvendo veniat, non absurdè dixeris, posteritati reliquit eorundem nescio quæ incuria & jejuna admodum de functionibus iis præcipuè, quas in appetendo averfandoque anima exerit, tractatio. Rarior nimirum notitia nobis supererat de potiore hac nobilioreque humanæ structuræ parte, raritas verò ejusmodi facit haud rarò, ut rei aut nimiù incumbamus aut tantum non negligamus penitus (a). Rara enim itemque ardua sicuti pulchra nobis jucundaque videntur hominibus, ita desiderium sciendi immane quantum augent (b), & ea ipsa pulchritudo vicissim rem difficilem reddit (c). An vero rei gravitas in hoc negotio, cum de Affectibus agendum erat, in causa fuerit, quò segnius susciperetur, hinc non disputo, interim id neglectum esse à Veteribus, dolendum est. Aristotelem quidem quod attinet, causam aliam adducit Piccolomineus, ejus verba hæc sunt: *Evenit tamen frequenter, quod Philosophus in Scientiis ad ultimas species non descendit & multa negligit tanquam conspicua ex communibus ac principiis ab eo explicatis, de quibus cumulatius mox agitur in disciplinis inferioribus, quæ uti illis debent & quibus inservit eorum distinctior explicatio* (d). An hoc servaverit Aristoteles in doctrina perturbationum etiam valdè dubitamus, cum ipsa Piccolominei scripta intricata satis aliud doceant. Inde factum est, ut ætas posterior (e) in hoc negotio operosè sudarit, sed cum veteribus penè neglectum opus emoliendum suscepisset (f) nihil aut parum cer-

A 2

tè

(a) Sicuti in Virtute duo extrema habemus, ita & hic eadem vitia Excessum sc. & defectum deprehendimus. (b) Cic. 2. Invent. (c) Δύσκολα τὰ καλὰ. (d) Piccol. grad. l. cap. 2. p. 67. cur nonnunquam rerum species in Physicis negligentur. (e) Scholastici præcipue (f) Thomas. Phys. cap. 48. §. 106. p. 257.



tè profecerit, cum tot propemodum deprehendamus sententias quot capita (g). Quare minimè perdere nos operam rati sumus, si materiam hanc de Affectibus per modum disputationis penitus paulò consideremus, neq̄ve tamen eum in finem, quasi tot multiplicia Autorum capita conciliare aut controversiam hanc pro ingenii nostri modulo sc. dirimere velimus, in eo enim agnoscimus nostram tenuitatem ætatisq̄ve imbecillitatem; Sed quoniam in operâ hac Præ-Clari nobis prævivere Viri magniq̄ve nominis Philosophi, (b) ideo crambem hanc sæpiusculè ab aliis coctam iterum apponemus, Laudatissimorumq̄ve Virorum vestigiis Autoritibusq̄ve insistemus, vel Exercitii Academici ergò, rationem interim veritatis imprimis habituri. Sit igitur Bono cum Deo

(g) id. l. c. §. 105. (b) Dürr. Excell. Thomaf. quibus addatur Jason Denor.

SECTIO I.  
DE DEFINITIONE EJUSQVE  
CAP. I.  
De  
DEFINITO.

§. 1.

**D**efinitio latè sumta absolvitur definito & definitione strictè sic dicta. Definitum Thematis nostri quod attinet, id Disputationis frontispicium sistit suntq̄ Affectus humani in genere sic dicti. De subjecto quidem, quod affectus denominat, nostro, hic quidem nihil dicendum est & ejus significationem appellationesq̄ve satis notas præsupponimus.

§. 2. Affectus verò sine dubio deducitur ab afficiendo, quod eo ipso homo, aut potius anima humana afficiatur, imo ipsum corpus quoq̄ mutationem quandoq̄ve percipiat, ex quo verò ne colligas velim ac si corpus esset Subiectum Affectuum (a)

§. 3. Hinc vocantur etiam à nonnullis passiones seu perpersiones, quia sunt non tantum formæ accidentales sc., quas patitur ac in se recipit potentia eas eliciens, sed quia ad eas insuper in corpore hominis sequuntur sensibiles quædam per manifestam alterationem passiones, ut ad amorè dilatatio cordis, (b) & rectè etiam hominem affectibus occupatū pati dicimus; quodcunq̄ enim ab

(a) vid. inf. c. V. §. 62, hujus Sect. (b) Fromond. lib. 3. de anima c. 9. art. 3.



objecto externo afficitur rectè dicitur pati. Vocula passionis egregiè respondet græco vocabulo  $\pi\acute{\alpha}\theta\omicron\varsigma$  quod à  $\pi\acute{\alpha}\theta\omega$  patior derivatur

§. 4. Cic: Lib. 4. Tusc. quæst. eas appellat animi perturbationes, quia sæpenumero animum hominis in contemplando & agendo perturbant, sed id vitiosorum & malorum tantum affectuum est, & has Stoici in sapientem cadere negant. Si quis enim supra id, quod oportet, irascatur aut paveat, jam non se habet aut operatur ut sapiens, ( ) igitur affectibus propriè sic dictis & nostris vox perturbationis impropriè competit.

§. 5. Prima frons statim disputationis indicio esse potest, quod hic non agatur de Affectibus practicè uti Ethicus sivevit, quatenus sunt moderandi, Rhetor quatenus sunt movendi in Auditorum animis, Medicus quatenus sanandi veniunt. Sed theoreticè & in actu signato quatenus sunt affectus & ad Physicam spectant.

§. 6. Et quidem quatenus homini competunt, sic nihil nobis commercii est cum aliis affectibus quocunq; veniant nomine, nisi humani audiant, sive divinis illis & Angelicis, de quibus Theologi, sive beluinis deniq;. Definito sic satis, ut arbitror, explicato propiùs ad definitionem accedimus.

(c) Fromond. ibid.

## CAP. II. DE GENERE.

§. 7.

**D**efinitionem verbalem, quam in primo capite perlustravimus, excipit realis, hic vero, uti supra præfati sumus, eadem difficultas se objicit, qualis in definitione accidentium communiter.

§. 8. Si libros Autorum partim Physicos, partim Ethicos evolvimus, operosas admodum invenimus definitiones huius Animæ accidentis, & tamen minùs accuratas & imperfectas valdè. Ut igitur & Methodi observetur ratio, & ut perfectia huius accidentis eliciatur definitio, in hoc & sequenti Cap: evolvamur ipsorum aliquot definitiones, easq; censuræ submittamus, quam suppetat nobis doctrina Doct. Nöldelii in disp. quadam, (a) ubi enumerat requisita ad perfectam accidentium definitionem facientia.

A 3

§. 9. Per-

(a) Joh. Nöldel. disp. de ordine doct. p. 226.



§. 9. Perfectas definitiones accidentium secund. cit. Nöldel. tribus constare partibus oportet, (1.) Genere, quod exprimit formam Accidentis ad definiendum propositi (2) Subiecto, quod loco differentia proponitur, & formam illam coarctat (3) Denique causa à qua vis sive essentia accidentis tota dependet, quæ posita ponitur sublataque tollitur proprium Accidentis. Genuinum igitur nobis omnium primò & adæquatum affectuum genus quærendum est.

§. 10. Si Autorum percurramus sententias, deprehendimus uno ore ferme confirmare omnes, quod ad prædicamentum Qualitatis referendi Affectus sint; ad quam speciem verò huius Accidentis proprie spectent, id est, in quo dissentiant quod antenus. Ut autem hæc res intricata quidem ad omnium oculos evidentius pateat, rem altius repetemus, ipsumque hoc genus secundum species illius prædicamenti sub examen revocabimus, antequam ad ipsam definitionem descendimus.

§. 11. Sic ordinem istarum specierum ex Logicis petimus & progredimur à remotione non immerito ad ipsam rei positionem. Hinc statuimus Affectus humanos non esse

§. 12. Habitum seu potentiam acquisitam nec consequenter pertinere ad primam speciem qualitatis, id prob. (1.) ex definitione habitus, quæ affectibus applicari haut poterit. Est enim habitus qualitas acquisita per modum potentia firmiter inhærens subiecto Affectus vero non est acquisita qualitas nec per crebras actiones animo inducitur, sed ab objecto cognito subito excitatur & naturam inhæret subiecto, nec tamen per modum potentia, sed operationis aut actus (2) subiecto differunt, habitus enim requirit potentiam liberam & hoc modo homini saltim inest, secus affectus, licet enim humani nostri affectus quidam in potentia libera sedem suam quoque habeant, hoc tamen non est de essentia eorum, ut homini soli competant, cum etiam in pueris, imo in brutis deprehendantur (3) proprietatibus, habitus difficulter est mobilis, affectus contra facile interdum pereunt, & sic momentanei omninò sunt uti infra ex divisione patebit, ita ut bonus affectus facile transeat sæpius in malum & mutationem patiatur, quod contra naturam & requisita habitus est.

§. 13. Ex dictis itaque patet nec opinionem sive iudicium

ut



ut vocant Stoici, Accidentis nostri genus esse, quia opinio ad Scientiam proximè accedere rectè dicitur, quid? quod Alstedius ipsam inter habitus refert in Hexilog. sua, verum non habitus quidem, sed dispositio tamen & gradus ad habitum est, (b) & si respectu ad definitionem opinionis habeamus, illa est assensus seu actus intellectus. Intellectui vero nulli insunt affectus uti capite sq. patefcet, sed ad voluntatem pertinent, non ad facultatem judicantem, sed appetentem. Perperam igitur Chrysippus & qui eum sequuntur, definiunt affectus per opiniones, iudicia aut existimationes uti optimè annotat Piccolom. (c) vid. cap. III.

§. 14. Nec esse potentias naturales aut facultates. Facultas verò hic non sumitur pro arte, inde distinctio in artem conjecturalem & definitam (d) atque hoc modo facultas habitus est; sed pro potentia, quatenus habitui contradistinguitur, hasce autem facultates seu potentias non esse affectus monet iterum Piccolom. (e) Perturbatio seu  $\pi\acute{\alpha}\theta\omicron\varsigma$  non est facultas aliqua animæ nostræ, neque habitus assuetudine æquisitus, sed commotio quædam media inter facultatem & habitum, ut ut enim affectus dicantur naturâ inesse ab Aristotele, non insunt tamen per modum potentiæ uti §. 12. hujus cap. dictum est. Exinde etiam statuimus non esse sensus neque internos neque externos, quæquam proveniant à sensibus, neque appetitus, sed aliquid quod huic inest sive consequens hujus facultatis, uti Stierius (f) appellat eosdem, non tamen privationem qualitatæ aliquam.

§. 15. Ad quartam vero speciem qualitatæ an pertineant non est cur prolixius disputemus, cum illi quantitatem afficiant & consequenter corporibus competant, affectus vero non in corpore, sed in anima sedem suam occupare mox patebit cap. III. §. 23.

§. 16. Ex hac inductione specierum, quæ hætenus per remotionem dedimus, argumentari jure possumus ad positionem, speciei restantis tertiæ, neque aberrabimus à scopo hoc modo, & hinc etiam assertionem nostram elicimus, dicentes ad hanc speciẽ tertiam qualitatæ propriè pertinere (g); Cæterum, sive ad Patibiles Quali-

(b) Georg. Meierus cap. 7. Gnosol. th. 9. Sect. 1. p. 328.

(c) Piccol. grad. 1. c. 7. p. 76. (d) Arist. 3. Eth. 3. vid. etiam Cl. Dürr. probl. 91. p. 182. (e) p. 66. grad. 1. c. 2. (f) Stier. part. spec. trad. IV. cap. 16. Phys. (g) contra Alsted. in Patholog.



Qualitates retuleris, five ad passiones parum intererit, cum discrimen quod inter eas intercedit non sit specificum, sed accidentale (b) & hoc etiam affectibus competit, quos dividimus in durabiles & minus durabiles vid. Sect. II.

§. 17. Id autem hic observatu dignum est, qualitates illius speciei afficientes, ut à B. Dannhauero (i) appellantur, duplicis esse generis, vel corpori enim vel animo accidunt; Affectus vero, non corpori, sed animæ inesse lq. cap. docebit.

§. 18. Ex supradictis quoque manifestum est, non pertinere affectus ad prædicamentum passionis ex doctrina ergo de prædicamentis Logica hic repetenda est illa distinctio, quæ hæc passiones actioni contradistingvantur, illæ verò in tertiâ specie qualitatis actionem potius includant. Nam non tam passionem quam actionem etiam in omni affectu deprehendimus, & quod de nominibus verbalibus Excell. Thomasius (k) pronunciat, idem hoc loco de Affectibus notandum est, eandem sc. vocem significare, tum actionem tum passionem diverso sc. respectu, ita & Affectus, cum actionem respectu objecti vel facultatis etiam agentis; tum passionem, respectu patientis, alterius in anima facultatis, quæ recipit motiones tum objecti, tum facultatis prioris, hoc autem, dicit, ex eo evenire, quod actio & passio revera sint unicus motus. l)

§. 19. Et hæc causa est, quod non duntaxat affectus in prædicamento Qualitatis collocentur, verum quo minus etiam actionis aut passionis in definiendis iis vocabulo utamur, sed adhibemus potius vocabulum motus, translatione factâ à motu corporum ac animæ. Per actum vero ideo non definimus affectus, quia vocabulum istud perfectionem quandam importat, affectum verò actum imperfectum esse ex eo constat, quia passionem simul involvit, quæ imperfectionis indicium est, imperfectus vero actus per motum denotatur.

§. 20. Igitur cur Aristoteles affectus non in prædicamento Actionis aut Passionis, sed in aliquâ specie Qualitatis locaverit, causam aliam adhuc subesse censet Excellent. Thomasius m) quia non

(b) Mundsberg. Tab. Log. (i) Dannh. in dialect. k) c. 15. Log. §. 10. & 15. l) Hinc Aristot. 3. de an. 54. appetitio motus quidam est aut actus. m) Phys. c. 41 §. 101. p. 256. in Metaphoris locus est etiam dissimilitudini.



non tantum hic motus in conversione vel aversione, sed etiam in quiete in suo bono consistit. Quæ quies considerari potest, & in animo & quatenus extra animum se prodit vid. infr. cap. XV. §. 54.

### CAP. III. DE SUBJECTO.

§. 21.

**A** prima parte perfectæ accidentium definitionis, quæ forma erat, ad alteram delabimur, nempe Subjectum, quod differentia vices sustinet in definitione. In hac verò parte non minus atque antecedenti abstrusas admodum Autorum diversitates & majores fortassis difficultates reperimus.

§. 22. Cardo discrepantiæ omnis in eo vertitur, quod cum nescientibus dubitent, utrum ad animam totam & omnes ejus partes aut facultates, an verò ad aliquam saltim & ad quam ipsius potentiam restringi debeant. Hac in re sc. eandem fortunam experti sunt actus & functiones animæ, quam aliàs animæ ipsa, quæ an per totum hominem substantialiter sit diffusa, an verò in aliqua corporis parte inclusa lateat, magna controversiarum materia Veteribus fuit. *a)* Hæc res cum nobis expedienda sit, in aliquot opiniones sententiasque Autorum inquiremus, veram deinde annexuri.

§. 23. Ad animam quidem pertinere Affectus, in eo verò dissentire Autores vix possunt, quia eos animæ accidentia esse, concedunt. At, quæ animæ accidunt, propriè quidem & tanquam Subjecto, corpori eadem eodemque modo accidere nequeunt, Proprii enim accidentis à subjecto in subjectum non datur transitus. Sed ad quam partem pertineant variæ extant Autorum sententiæ; Ceterum qui ad animam totam adæquatè retulerunt, aut confuse, aut non satis accuratè rem tractarunt.

§. 24. Et, sicuti in tres partes dividitur anima in Schola Peripatetica, in Vegetativam sc. Sensitivam & Rationalem, ita pro qualibet parte certi reperiuntur Patroni, adeò ut Vegetativæ etiam Animæ nulli defuerint. Et hæc est Classis prima.

§. 25. Huic sententiæ Patronus est Cardanus, qui statuit et-

B

iam

*a)* ad Thomam, Physic. c. 45.



iam facultati Vegetanti competere affectus five passiones. Id probare conatus est ab ipsa plantarum natura eorundemque Sympathia & Antipathia. Hinc dicit: Plantas se invicem amare itemque odisse. Hanc sententiam ipsi prævit Plato, quod colligere possumus ex vulgata illa divisione, qua appetitum dispescit in *ἄνυσον* & *ἄνυσίαν*, aperte enim hic asserit *ἄνυσον* vel Irascibilem facultatem brutis competere, *ἄνυσίαν* vel concupiscibilem plantis, proprie ergo & actus hujus facultatis eis competunt juxta ipsius sententiam. *b)* de qua infr. Sect. II.

§. 26. Sed nos, sicuti appetitum naturalem eumque improprie talem haut inviti plantis relinquimus, sic vicissim sensitivum omnem adeoque affectus illis omnino denegamus vid. cap. IV. appetitum non habere talem prob. quia plantis neque cognitio inest, neque sensus; atque appetitus nisi præcedente cognitione non excitatur; & hoc pacto valere jubemus Platonem, qui in hac doctrina, dum sensus plantis etiam una cum appetitu concupiscibili affinxit, distinctissimos appetitus magis confudisse, quam bene docuisse censetur. *c)*

§. 27. Etenim suo quidem alimento imminent plantæ, sed nullo prævio sensu, quod si verò tribuimus plantis & arboribus Sympathiam quandam aut affectum, id planè improprie fit: quod enim appetitui naturali aut causæ etiam alii proprie adscribi debet, sive illa causa nobis sit nota sive non, id non affectibus aut Sympathia & Antipathia qualitatibus debet assignari.

§. 28. Sympathia autem, quæ de plantis dicitur, non accedit ad naturam istam affectuum, cum nulla præcedat cognitio: ignoti enim nulla cupido Accedit & hoc, quod plantæ loco se movere non possint, quod tamen in affectibus etiam aliquando requiritur, ad illum prosequendi aut averfandi actum plenius exercendum.

§. 29. In altera classe sistunt se nobis illi Autores qui in parte sentiente & quidem ejus appetitivâ facultate sedem affectuum collocant, ita ut vegetanter & tertiam illam rationalem excludant, ad quam classem pertinet etiam Aristoteles cæteri que

Peri-

*b)* vid. disp. I. de 4. Virt. Cand. Thomaf. §. 32. *c)* id disput. Secunda §. 14 & 15. & præcipue n. 70. & 77.



Peripathetici & Scholaſtici *d*) plerique, qui per motum appetitus ſenſitivi affectum definiunt & hos ſeqvuntur etiam modernorum Philoſophorum nonnulli, *e*) hanc definitionem operoſè defendentes.

§. 30. Quod facit & Piccolom: & argumenta magni ponderis in medium affert, ipſa verò definitio Piccolominei hæc eſt: Perturbatio, ſic ipſe affectus vocat, eſt motio appetentis ſenſuum facultatis, nec non ſpiruum cordis, ab objecto quod per vim imaginandi nobis vel moleſtum apparet pro moleſtia vitanda fruendaq; jucunditate. Commendat hanc definitionem tq. omnibus abſolutam partibus, quod omnibus cauſarum generibus conflata ſit. *f*)

§. 31. Inter alia verò & prolixè defendit eius differentiam, ſive ſubjectū; 1.) argumentum ejus eſt ab habitu deſumptum, cujus objectum Affectus ſunt, virtute nimirum, quia & virtus ipſa appetitui ſenſuum convenit, itaqve & affectus quos moderatur. 2.) ab alteratione corporis, quod non ſine motione ſanguinis ſpiruum & alicujus partis corporis ſiant, at in actione ſive perſeſſione voluntatis & mentis nullam adēſſe motionem instrumentorum vid. Piccol. c. 1. p. 78. ubi plures adducit ſimiles objectiones præſertim contra Stoicos & ex Ariſtotele locum huc maximè facientem, qui habetur 7. lib. Phyſ. Afferit ibi Philoſophus: Alterationem ſolam ſentiendi facultatem attingere, non autem mentem. At perturbatio animi non fit ſine aliqua alteratione. Ad quæ reſpondeo in 1.) quidem probari dubium per æque dubium 2.) diſtingvo inter Affectus craſſos & ſubtiles, de his nego, de illis concedo, de quibus etiam locus Ariſtotelis intelligendus eſt, plures ſi deſideras objectiones Piccolom. Conſule. *g*)

§. 32. IIIiſſis eorum Autorum, qui facultati rationali tantum inēſſe contendunt & ſoli homini competere, ad quorum numerum accenſendi ſunt ii, qui affectum definiunt per opinionem aut judicium, quæ definitio vulgò Stoicis imputatur. vid. ſup.

§. 33. Animæ rationalis verò duæ tantum facultates, Intellectus nimirum & voluntas. Sunt igitur alii Autores, qui intel-

B 2

ctum,

*d*) Hic Conimb. diſp. Ethic. 6. q. 3. art. 1. *e*) Strateman. in Phyſ. & Ethic. Iterus. Alſted. & c. *f*) Piccol. grad. 1. 1. c. 5. p. 71. ſq. *g*) id ib. cap. 8. p. 78.



Etum ; alii qui voluntatem subjectum affectuum faciunt.

§. 34. Ex iis, qui Intellectum statuit, est Chrysippus *b)* sed falsissime statuit, actus enim hujus facultatis non consistit in ea appetendi aut averfandi operatione, sed cognoscendi ipsi inest facultas, unde & per objecto non habet bonum aut malum, quod affectuum, sed verum, circa quod contemplando occupata est, & si affectus essent intelligendi ejusmodi actus, bruta à nobis nihil differrent animantia, quippe quibus actus illi, quos affectus appellamus, etiam competunt.

§. 35. Quibus voluntas sedes affectuum visa est, ii nimirum coarctarunt hoc accidens, ita ut motiones eas saltim censerint perturbationes, quæ limites rectæ rationis transilirent, sicuti verò quoad vocabulum motibus animi abusi sunt, sic & strictum nimis motuum subjectum nobis faciunt, cum eos ad solam voluntatem hominis adstringant. Et hi sunt Stoici, qui omnem affectum, cum in vitio ponant omnem, à sapiente abesse & exulare penitus voluerunt.

§. 36. Quod igitur differentiam attinet in definitionibus Stoicorum, ea adhuc magis peccat, quam illa Scholasticorum & Aristotelis, cum non tantum strictior sit suo definito, brutis enim, hoc modo ejusmodi motus denegantur, sed insuper etiam propriam affectuum naturam pervertunt & affectiones ipsis tribuunt proprias, quæ tamen ex alio fonte promanarunt. *i.)*

§. 37. Hic rejectis & tanquam veritati minimè consentaneis refutatis sententiis, quia vel non exhauriunt definitum vel planè excedunt, subjungimus veram & genuinam, quæ vel ex hactenus dictis elici potest, sententiam, in quantum hoc loco respectus habetur ad sedem sive subjectum affectuum.

§. 38. Quoniam intelleximus quodammodo ex jam dictis affectuum subjectum esse appetitum sensitivum, quæ Scholasticorum erat sententia, sed non tantum, cum subtiles ad rationalem etiam pertineant, & Stoici in contrario ad hanc solum retulerint, quam bene, patet ex §. 36. Uti igitur utriusque huic malo medeamur, partim referre licebit ad facultatem aliquam animæ specialiore, partim etiam abstrahere à rationalitate & irrationalitate, quoniam vocabulum

*b)* Strateman, Phys. p. 535. *i.)* Jure n. aliqu. Irascimur, Senec.



bulum ejusmodi nobis suppetit, quod actus illos circa bonum exprimit simul & naturam etiam divisionis illius adaequatè exhaurit.

§. 39. Statuimus ergo cum Viris Prae-Clarissimis quibusdam *k)* affectus sedem suam habere in appetitu, quatenus ille indifferenter se habet ad sensum atque rationem, & hic posterior vocari solet voluntas, & haec sententia cum plerisque nostratum Theologorum consentit. Sequitur

*k)* Jaf. Denor. Dürr. Thomaf.

## CAP. IV.

De

## OBJECTO.

§. 40.

Superest, ut tertium requisitum etiam examinemus. Id verò absolvit causa illa, à qua vis vel essentia accidentis tota dependet, quaque positam ponitur, sublataque tollitur proprium accidens, quae essentia cum in affectibus quidem definiendis ab objecto dependeat, jure igitur eandem etiam in eo ipso quaerimus.

§. 41. Objectum autem affectuum non esse Verum, nemo facile mihi negabit, nisi qui intellectum statuat subjectum eorum, quippe qui id ipsum objectum solus sibi ad contemplandum proponit, multo minus erit falsum, cum appetitus ad falsitatem nullus inclinet.

§. 42. Absque ulteriore igitur ambage statuimus esse bonum. Bonum enim est id, quod habet convenientiam cum appetitu, inquit Aristoteles. *a)* Res ergo propemodum omnes, quae boni saltem aliquam speciem praeseferunt, sub objectum nostrum, cadunt, cum appetitus quicquid modo conveniens sibi est aut videtur, appetat.

§. 43. Bonum verò istud quam late pateat infra videbimus. Nunc ipsam objecti nostri formalitatem praecipue indagabimus, quae non consistit in opinione, uti Andronicus putavit; nec in depravato judicio, quae sententia Stoicis communiter imponitur, quippe quae objecti formalitas à solo intellectu dependet, uti saepe audivimus, nec in permixtione voluptatis & doloris, cum



hæc vocabula multæ significationis apud Autores sint & non tam animum,quam corpus respiciant & hæc permixtio etiam non fit, in simplicibus affectibus, sed mixtis.

§. 44. Sed dicimus esse cognitionem boni objecti. Hoc probamus, quia 1.) vox illa huc commodè quadrat, cum non intellectum solum, uti opinionis vocabulum respiciat, sed ad sensum pariter & intellectum indifferenter se habeat, non secus atque ipsum vocabulum appetitus antea in præcedenti cap. Definitionem enim cognitionis hanc tradit Thomas: Cognitionis est actio vitalis potentia in se objecti similitudinem exprimentis. b) In hac definitione vel unum vocabulum potentia indifferenciam cognitionis satis declarat.

§. 45. Patet igitur hanc formalem rationem objecti adæquatè convenire affectui, & videmus inde non sensibile, uti Peripatetici vulgariter tradunt, tantum, neque opinabile tantum uti Stoici; neutrum enim latitudinem objecti exhaurit, sed ex aliqua parte sensibile, ex alia verò intelligibile objectum sub hanc formalitatem cadere.

§. 46. Hæc verò cognitio objecti necessaria est propter illam ipsam prosecutionem & averfationem, pro diversitate Objecti Cogniti, prout objectum conveniens aut disconveniens est, vel etiam pro conditione præsentia aut absentia objecti.

§. 47. Latissimè verò hoc objectum motuum patet, quia omnia sensuum objecta sub his quodammodo comprehenduntur, quam lato verò campo sese offerant hæc objecta, in Physicis videre est, pertinent hinc quoque omnes divisiones boni cogniti, quarum unam analogicam quidem dabimus: bonum nimirum, triplex in morali disciplina statuitur; Honestum, quod rectæ rationi conforme est; Utile & Jucundum. Non id igitur tantum, quod cum sensu & voluptate percipitur & delectabile maximè bonum est, uti Scholastici voluerunt, sed utile etiam & honestum movere hominem, inque eo affectu excitare, asserimus.

§. 48. Sub Objecta etiam eorum non solum res animata, sed inanimata etiam cadunt, quales sunt v. g. Patria. Unde Poëta:

*Nescio, quæ natale solum dulcedine cunctos*

*Ducit & immemoros non sinit esse sui. c)*

CAP.

b) Thom. 1. part. q. 85. & 86. c) Ovid. 1. de Pont. Eleg. IV.



## DEFINITIONE IPSA.

§. 49.

Post evolutionem definitionum aliarum earundemque examen, subijcimus aliam, in quantum illa ex prævia proximè indagazione instituta elici potest, & quidem ad ductum doctrinamque sæpè Laud. Nöldelii. Subijciemus autem ita, ut subiectum mox istius declaratio & brevissima, quantum quidem fieri potest, resolutio excipiat. Institutum verò nostrum & Thematis nostri ratio requirit, ut Affectus non in communi, sed in specie humanos, definiamus.

§. 50. Definitio ipsa hæc esto: Affectus humanus est motus facultatis appetentis in homine, ortus ex cognitione boni prosequendi & mali averlandi.

§. 51. Hanc definitionem iis quidem partibus absolutam puto, quas doctiss. Joh. Nöld. ad hujusmodi perfectionem requirit. Constat enim genere suo & differentia vide supra cap. II. §. 9.

§. 52. Genus quod formam definiti exprimit, in nostra Definitione est motus: Motus verò variè considerari potest (1) vel in suo proprio significatu, quo pacto competit motui ut est affectio corporis naturalis & hujus motus enarrantur sex species in Phisicis. Sed nulla illarum ad genus nostræ definitionis, cum illa corpus & ejus affectiones respiciant, vel impropriè, prout substantia spiritualis etiam moveri dicitur, ejusmodi motus vocatur aliàs, motio, mutatio. Et hæc metaphorica acceptio hujus est loci, quia non tantum in motu h. e. in conversione sui boni & aversione à suo bono, verum etiam in quiete in suo bono consistit, & si internum motum respiciamus, etiam in eo ejusmodi quies aliqua interne reperitur, de quo §. 54. hujus cap.

§. 53. Motus (2) est vel activus vel passivus, uterque hic subintelligitur. Facultas enim appetens non movetur duntaxat ab objecto cognito, sed ipsa quoque movet animum, imò corpori quandoque alterationem manifestissimam imprimat, quod in sensitivis affectibus fieri solet, & hæc est actio ab intra. Activus dicitur etiam



etiam ab extra & maxima quidem ex parte, ex actu scilicet cum prosequendi, tum averfandi. Hinc fit, ut loco Generis alias ponatur actus, cum affectus ab eodem actu potissimum denominationem suam accipiant. Uti fit in Ethicis, ubi actui jam perfecto moralitas introduci debet. Ex his constat affectum esse motum mixtum, quatenus tum actionem tum passionem includit. Consule sup. Cap. II. §. 18.

§. 54. Motus (3) est vel internus vel externus. Motus internus affectus est, quoniam intra facultatem cognoscentem & appetentem manet. Externus dicitur in respectu ad actum illum prosequendi boni & averfandi mali, quem utrumque etiam quando quove exercet, uti fit in amore & odio, spe & metu. Simili modo quies etiam est vel interna, quando scilicet motus ille internus formam suam acquisivit, tunc dicitur in quiete quasi consistere, tanquam in termino ad quem; Vel externa cum affectus etiam quandoque in sui boni quiete consistit, uti fit in gaudio tanquam fruitione boni presentis. Hoc enim delectationis affectu anima quiescit, aut volvit ac revolvit se quasi circulariter in boni presentis dulcedine non evolvendo se & extendendo ulterius a).

§. 55. Hic etiam notetur processus & Ordo affectuum sive motuum appetentis facultatis; nam in motus productione ex sententia Aristotelis talis ordo consideratur, uti observat Piccolom. b) Primò obiectum optabile, ut movens immobile facultatem cognoscitivam movet: Hinc oritur ejus cognitio per sensus externos atque imaginandi vim: & primò quidem cognoscitur absolutè, secundò, cum ratione boni vel mali, jucundi vel molesti &c. Quod obiectum sub hac conditione cognitum, tertio loco excitat facultatem appetendi vel sensitivam vel rationalem: Prioris commotio non est sine alteratione aliqua spirituum & corporis per quantum refrigerationem vel excalesfactionem, item per dilationem vel constrictionem cordis: demum anima per cognitionem, ut per ducem & dirigentem, per appetitum ut per proximè agitantem, excitat appetitum prosequendi vel averfandi, & tandem in sensitivis affectibus auxilio spirituum aut cæterorum instrumentorum corporis movet corpus totum. Et sic satis de Genere affectuum.

a) Fromond. l. 3. c. 9. art. 3. b) grad. l. c. 7. p. 75.



§. 56. Differentia desumitur 1.) à Subjecto. 2. ab Objecto. 3.) à fine.

§. 57. I. Subjectum, quod duplex est vel subjectum quod, vel quò; Subjectum quod seu denominationis significatur in definitione per vocem in homine, ipse nimirum homo est Subjectum quod, quia de ipso dicitur, quod sit affectus, quod sit commotus metu, gaudio &c. Hinc & affectus nostros diximus humanos, non verò hic intelligimus tantum hominem in statu corrupto, quatenus jam lapsus est, sed stantem etiam, uti ante lapsum in statu suo integro fuit. Tam enim secundum, quam contra rectam rationem concupiscere potest homo & averfari.

§. 58. Subjectum quò seu informationis est Facultas appetens sive appetitus humanus. Appetendi autem vox æquivocationi valdè est obnoxia, à qua igitur erit liberanda.

§. 59. Sumitur appetitus (1) vel strictè, quatenus idem est, quod prosecutio alicujus boni, & sic opponitur averfationi mali; vel latè, prout averfationem includit, factâ denominatione à priori; hæc posterior significatio huc spectat (2) Appetitus est vel Naturali, qui fit absq; præcedente cognitione, qualis etiam est in plantis & rebus inanimatis; vel Elicitus, qui prævia cognitione elicitur, hæc quidem acceptio hujus loci maximè est propria.

§. 60. Termino hîc ab æquivocatione liberato, ejusdem analogiam evolvere opus est; dispescitur autem ratione Analogi, in appetitum sensitivum & rationalem. Subjectum primarium dicimus esse sensitivum, secundarium appetitum rationalem seu ut aliàs dicitur, voluntatem. Affectus cur primariò adscribatur appetitui sensitivo, ratio est, quia huic magis propriè motus competit, hic enim & corpus etiam afficit, & voluntate vulgò habetur prior.

§. 61. In voluntate verò ponimus, quia in hoc appetitu non minus ac in illo sensitivo etiam excitantur motus, ex apprehensione sc. bonorum malorumvè ad gloriam, honorem, eorumq; opposita mala pertinentium, quæ utiq; ab anima sensitiva, hominiq; cum brutis communi, nec cognosci nec appeti possunt. Id vel exinde confirmatur, quod pudor sit affectus i. e. Timor quidam infamiæ, ut Aristoteles explicat 4. Ethic. ult. At infamia, nec timor ejusdem in bruta cadunt.



§. 62. Sciendum præterea hîc est, aliàs & Aristotelem etiam sedem affectuum collocare omnium in corde; id quidem planè negare non possumus, si sc: hîc sedes intelligatur organica seu organon, quo mediante anima actus illos exercet.

§. 63. II. differentia desumebatur ab Objecto, quod est vel Materiale idqve vel primarium, ut Bonum, & secundarium ut malum; utrumqve vel verè tale vel apparenter; vel Formale; quod consistit in cognitione istius boni vel mali, sc. est bonum non in esse entitativo, sed in esse cognito. Potest autem objectum hoc non quatenus cognoscibile, sed quatenus nimirum cognitum, variè iterum dividi, vel in bonum ut est præsens vel absens &c. de qua divisione in Sect. II.

§. 64. III. Causa finalis indicatur per utrumqve vocabulum, tam prosequendi quàm averfandi. Est autem nihil aliud, quàm alacritas actionum humanarum, seu quod idem est, vehementia quædam prosecutionis & averfationis, vel si mavis, stimulus quidam ad actus illos utrosqve. Ist hæc verò alacritas in definitione innuitur per vocabulum motus, loco generis ibi positum.

Finis Sectionis Primæ.

## SECTIO II.

### DE CAUSIS ET DIVISIONIBUS.

#### CAP. I.

De

### CAUSIS AFFECTUUM EORUNDEM- QUE EFFECTIS.

§. 1.

**D**efinitionem & naturam Affectuum, quantum quidem opus fuit, consideravimus atqve explicavimus; Nunc recto ordine progredimur ad eorum divisionem.

§. 2. Ultima verba superioris sectionis mentionem faciunt causæ finalis Affectuum, exinde percipimus, hanc definitionem præter alias accidentium esse perfectam, quoniam omnia causa-  
rum



rum genera in se continet, a) & hoc modo satisfactum quocumque esse Philosopho, b) qui, quotiescunque, inquit, exactè definire volumus vel affectionem vel actionem aliquam ex facultate procedentem, id efficere debemus per omne genus causæ.

§. 3. Ob meliorem igitur facilioremque dividendi rationem, causas eruere Affectuum & inquirere in ipsorum effecta in hoc capite animus est.

§. 4. Causa efficiens motuum istorum est, eaque principalis, ipsa cognoscendi facultas. Hæc enim proximè & immediatè movet atque elicit appetitum humanum, & dicitur interna, quia intra subiectum sive hominem est. Remota verò causa, quæ extra subiectum consistit, nihil aliud est, quam ipsum objectum, quod h. l. cum causa efficiente coincidit. Et istud objectum omninò potest excitare motus appetitumque movere, licet id fiat à longinquo & remotè, aliquando tamen propriè agit, ut Orator dicitur movere Affectus in Auditorum animis, aliquando impropriè & materialiter saltem ut Patria vid. Sect. I. §. 47.

§. 5. Alia causa adjuvans, quæ ad internam potest reduci, est etiam humorum & spirituum temperies & intemperies, quæ Medicis dicitur Complexio. Nam & hæc plurimum adjuvanti adfert ad concitationem affectuum, sanguinei enim ut plurimùm sunt hilares, propter sanguinis & spirituum puritatem; Cholericus ad iram sunt proclives, propter siccitatem sanguinis & spirituum celeritatè; Phlegmatici segnes & quodammodo quasi ἀπαθεις propter aquosum sanguinem & spirituum frigiditatem; Melancholici denique ad tristitiã & metum inclinant, ob crassitiem sanguinis, & impurorum obscuritatem spirituum. e) Hinc Galenus affirmat: Affectus sequitur temperamentum corporis. Nos dicimus ut plurimum, non semper.

§. 6. Hoc temperamentum verò variat pro dispositione subiecti, quod est homo, ubi notetur diversitas 1.) Sexus; Sic sequior sexus nostrò ad Affectus proclivior esse putatur. 2.) Ætatis; Sic Pueritia segnis est & Affectibus minus obnoxia; Adolescètes rebus jucundis

C 2

gau-

a) Nöld. in Prat. logic. p. 199. demonstratio & perfecta definitio accidentium, quæ habet causam finalem, complecti omnia quatuor causarum genera.  
b) Aristot. sub init. IIX. Metaphys. vid. Piccol. grad. I. c. 2. p. 66. c)  
Alsted. in Encycl. & Dürr. probl. VII. moral. p. 14. Strat. Phys. l. 3. c. V. §. 55.



gaudent, amori indulgent; Viri verò & Adulti vindictæ student; Senes deniq; sunt timidi, justitiæ dediti, & misericordes In pueritia se phlegma exerit; in ætate juvenili sanguis; in virili cholera; in Senili Melancholia *d)* 3.) Nationum. Sic Galli ad libidinem proclives, Itali ad Iracundiam; Hispani honoris; Germani utilitatis cupiditate ducuntur *e)* 4.) aliorum adjunctorum. Sic sapientes affectibus non tam sunt obnoxii, quam Vulgus; sic in Dispositione sensuum externorum etiam non nihil momenti est positum, v. g. qui oculorum acie pollet, facilius at vehementius fortasse movetur quam qui hebitiore sensu est.

§. 7. Ad varias affectuum mutationes in homine multum quoque facit regionum locorumque situs, *f)* dissimilitudo aëris, nec non ciborum varietas. Nam populos suis sedibus ipsa fata ita distribuunt, ut penè ex aëris agrique natura mores quoque & vivendi disciplinam deprehendas. *g)* Quicquid verò hactenus dictum est de hisce causis adjuvantibus, id non intelligendum est *ἀπλῶς*, sed *ὡς ἐπὶ τὸ πλὴν*.

§. 8. Materia triplex aliàs est, materia ex quâ & propriè sic dicta, in quâ & circa quam. Materiam propriè sic dictam non habent Affectus. Nullum enim accidens materiam habet, igitur nec Affectus. Quod notandum est adversus Alstedium, qui in suâ Encyclopædia materiam Affectuum vult esse motum animalis internum. Sed contra communem loquendi usum. *b)*

§. 9. Materia in quâ sive Subjectum, & quidem denominationis, uti supra audivimus, est homo, & dividitur ratione sexus, ætatis, aliorumque adjunctorum. *i)* Subjectum verò illud, quod dicitur informationis, est appetitus elicitus. Hunc sensitivum ob meliorem distinctionem & æquivocationem affectuum, dividimus in humilem & altum *k)* in humili verò appetitu affectus non collocamus, nisi impropiè.

§. 10.

*d)* Thomas. Phys. c. 128. §. 22. p. 138. *e)* Masenius in Palæst. Orat. c. 23. p. 114. *f)* Didacus Saavedra Symbol. Pol. LXXXI. p. 674. diversitas, quæ in climatibus situ provinciarum, aëris contemperatione & alimentis cernitur, variè discriminat hominum constitutiones, hæc verò ipsas deinde eorundem naturas. *g)* Barelajus in Icon. anim. c. 2. *h)* Strateman, l. 3. c. 1. Ethic. p. 131. *i)* vid. §. 5. hujus Sect. *k)* Thomas. Disp. II. Virt. Cardinal. §. 14. n. 55. sq.



§. 10. Huc referimus etiam Organon illud omnium affectuum, tanquam Subiectum secundarium, Cor. Sunt quidam, qui statuunt hepar, sed nobiscum consentit Fromondus. *l)* Et Lælius Peregrinus, quod ad organon, inquit, inter illas (facultates) nullum statuo discrimen, sed in corde utramque constituo. Quod is de facultatibus loquitur, idem de affectibus dicendum. Nam & si quidem Affectus in jecore, ut cupiditas; alii in splene, ut lætitia, alii in felle, ut ira, dominari videntur, omnes tamen in corde; perficiuntur.

§. 11. Materia circa quam est objectum, quod erat bonum, cognitum. Omnia enim ejus, quod speciem boni præfert, gratia omnes agunt. *m)* Hoc verò bonum est vel simpliciter cognitum vel cognoscitur sub ratione præsentia aut absentia vid. Sect. III.

§. 12. Forma exprimitur per motum, modum verò seu processum hujus motus supra descripsi cap. V. Sect. I. Triplex sc. in omni Affectu est motus, unus facultatis cognoscentis ab objecto; Secundus facultatis appetentis à judicio; tertius totius hominis à facultate appetente & instrumentis; primus est causa secundi, secundus tertii. Primus minus propriè dicitur motus, secundus magis, tertius penitus propriè motus est.

§. 13. Hic notetur etiam reflexio animæ, tam sensitivæ quam rationalis supra se ipsam. Nam anima per facultatem cognoscentem proponit sibi objectum amandum; deinde seipsam excitat ad amandum per appetentem, & tertio hunc Affectum sui appetitus iterum per cognoscentem cognoscit. *n)* Nota: facultatem cognoscentem & appetentem latè hic usurpari, prout etiam includunt intellectum & voluntatem; Phantasia Affectum suum cognoscit, ut cætera solet, non quid sit, quod facit Intellectus, sed quod sit.

§. 14. Finis est actionum humanarum alacritas. Motus verò indicat aliquam alacritatem, sicut contra hujus privatio, segnitiam præfert. Quicquid enim sine affectu fit segniter & cunctanter; ut contra, quod cum affectu & animi concitatione, promptè fit alacriter & expeditè, ut igitur stimuli sint ad honestas actiones, Deus in sevit nostris affectus animis. *o)*

*l)* Fromond, l. 3. c. 9. art. 1. p. 729. & art. 3. p. 739. *m)* Aristot. lib. 1. Pol. *n)* Fromond. l. c. art. 2. p. 736. *o)* Tilo rudim. Rhetor. lib. 2. c. 1. p. 96.



§. 15. Effecta quod attinet Affectuum, varia sunt, ut 1.) alteratio corporis, eaque tum perfectiva, tum destructiva, & hæc crassioribus Affectibus accidit (2.) dilatatio cordis v.g. in amore, lætitia &c. aut constrictio e. c. in odio, tristitia &c. (3.) Frigefactio aut excalectio membrorum. (4.) Palpitatio cordis in vehementioribus motibus. (5.) Color externus, vehementioris enim affectus indicium etiam est externus color. p) v.g. externus rubor & pallor, qui extrinsecus in homine conspicitur. (6.) tremor membrorum & horror (7.) Virtus denique itemque vitium.

§. 16. Effectus etiam aliquando est risus, quem scitè gaudii, & fletum, quem tristitiæ appendicem appellaveris. q) Risus est motus diaphragmatis & musculorum pectoris atque oris, ex delectatione, cum admiratione rei novæ inopinatæ & ludicræ. Nam jucunda & nova simul conjuncta, risum excitare solent. r) Jucunda verò gaudium, nova admirationem adferunt. Risus, si in sonitum pulmonum emicet, cachinnus, si in vocem exeat fletus, lamentum vocatur. Nota: Affectus plerumque per vocem inarticulatam exprimuntur, sicut per articulatam conceptus.

§. 17. Proprium Affectuum est inesse, & quidem naturâ. Motus enim illi sunt ipsæ formæ & accidentia quædam homini per principia naturæ competentia. Sicuti naturâ facultate ridendi præditi sumus, ex qua deinde actus ridendi sive risus prodit; ita, facultas appetendi etiam à natura nobis competit, ex qua actus illi averfandi prosequendi que prodeunt deinde. s) Plures Affectiones easque disjunctas vide cap. II. sequenti.

§. 18. Adjuncta sunt iterum varia & innumera propemodum; v.g. voluptas & dolor. Hinc definiuntur communiter; Affectus sunt mutationes, quas dolor aut voluptas sequitur. t) It. bonitas & malitia, quam Stoici pro proprietate vulgo habuisse videntur; Moderatio & exsuperantia Affectuum, nec non vehementia; Permixtio item voluptatis & doloris.

§. 19. Species cognatæ Affectuum sunt Sympathia & Antipathia, nec non Metropathia quodam modo, ut & mores quos quidam lenes Affectus appellant, sed minus propriè, cum magis ad virtutes atque habitus accedant, quam ad Affectus. Huc refer

et-

p) Dürr. probl. 48. p. 92. q) Frommond. l. c. p. 378. r) Francif. Valles. l. 5. c. 9. Contr. s) Piccol, p. 66. & 67. t) Arist. II, Nicom.



etiam famem atque sitim, quæ videntur analogiam quandam habere Affectuum; Sed Affectus non sunt, quia non fiunt præcedente cognitione, sed stomachus pro diversitate siccitatis appetitum illum creat; Huc accedit, quod illi appetitus ratione compesci non possunt. Commodissimum igitur hic erit, cum Excell. Thomasio appetitum sensitivum parti re in Humilem & Altum. u) Altus appetitus est ea ipsa potentia, cuius actus vocantur affectus propriè dicti, ratione gubernabiles in homine, & in corde sedem habentes. Humilis verò non in corde sedet, sed in inferioribus membris vegetativæ facultati destinatis, v. g. Genitalibus, ventriculo, ubi etiam fames residet. Fromondus ita x) respondet; fames & situs non sunt propriè actus appetitus sensitivi, sed sensus quidam pruritus & convulsionis ventriculi, qui antecedit actum appetitus, quem Affectum appellamus.

§. 20. Oppositum est ἀπάθεια i. e. Immunitas ab Affectibus. Duplex verò ἀπάθεια est, crassa nempe illa, & omninò exagitanda, atque sana, limitibus suis circumscripta. Est enim & sapiens apathes, & stultus. Segnis atque stultus omni caret affectu etiam naturali, sapiens immunis est à pravitate & exuperantia affectuum. Homo enim est sapiens, humanique à se nihil alienum existimat, ergò affectibus quoque præditus est. Hinc Seneca: *Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoveo. &c.* Cur verò in sapientem non cadere affectus Stoici contendant, ratio est, quod ejus sapientiam, quâ sapiens est, nullo errore obnubilare aut labe subvertere possint. Et salvâ hac interpretatione sensu à Peripateticis non dissentiunt. y)

u) Thomas, disp. II. Vitt. Cardinal. §. 14. n. 55. 19. x) l. c. p. 40. y) Rappolt. ad lib. 2. Horat. Carm. od. 2. p. 1224.

## CAP. II.

De

# DIVISIONE AFFECTUUM IN GENERE.

§. 21.

Causis affectuum sic cognitis, Divisiones illorum proponimus. Possunt etenim affectus dividi vel 1.) ratione Æquivoci, 2.) Analogo.



analogi, 3.) Subjecti & actus, 4.) Ordinis & Processus affectuum, 5.) effectuum, 5. Objecti, 7. Affectuum, 8.) denique Adjunctorum aliorum. Ratione

§. 22. I. Æquivoci, distinguuntur in affectus 1.) propriè & impropriè dictos, quò modo mores dicimus affectus, 2.) in divinos, Angelicos, brutales &c. DEO & Angelis impropriè, brutis propriè, homini tamen propriissimè competunt, 3.) in affectum, verum & apparentem, qualis fames & sitis. Hinc multò magis plantis denegamus affectus.

§. 23. II. Analogi in primarias dividuntur & secundarias. Illi sunt in animâ sentiente, hi in rationali. Affectus, inquit Piccolom. a) est vocabulum ab uno, quod variis convenit ordine quodam. Dicimus inde nomen istud sensuum motibus competere, primariò, voluntatis verò secundariò, b) Primarii ut plurimum, cum magna corporis alteratione sunt conjuncti, & ad brutalium, indolem propius accedunt; Secundarii verò homini sunt proprii, nec tam crassam turpitudinem involvunt.

§. 24. III. Subjecti, & quidem 1) ratione ipsius hominis, quoad sexum, in masculinos & foemininos; Foeminæ enim ad affectus procliviores; quoad ætatem in pueriles, juveniles, seniles &c. Huc etiam diversitas Nationum pertinet vid. superioris Cap. 5. it. affectus sapientum & stultorum, nec non divisio in sacros v. g. Christiana Charitas, & profanos, &c ) 2.) appetitus in sensitivos & racionales vel intellectivos, qui non tantum differunt. Subjectis, quatenus sensitivi competunt homini ut animali, racionales verò, ut homini, sed etiam objectis, sensitivi enim sunt motus inferiores orti ex cognitione objecti similis; Intellectuales autem, sunt motus interiores, quibus homo excitatur, ad prosequendum bonum Intellectui cognitum: Et efficientibus, prout sensitivi pendunt à cognitione sensuum, illi verò ex intellectus cognitione & judicio; Differunt denique ordine existentiae, sic sensitivi prius insunt homini, quam intellectuales vid sup. c. V. Sect. I. c) Uterque Affectus tam sensitivus quam rationalis partitur iterum in concupiscibilem, qui in concupiscente; & Irascibilem qui in Irascente facultate locum habet, de qua mox cap.

a) p. 79. b) Dürr. prob. 47. p. 91. c) Dürr. l. c.



cap. III. hujus Sect. (3.) ratione actus, dispeſcuntur in proſecutivos boni & averſativos mali, ſed hæc diviſio cum priore in Iraſcibiles & concupiſcibiles coincidit, ſi mentem Ariſtotelis reſpicimus.

§. 25. IV. Ordinis & proceſſus motuum, dividimus in motum primum & ultimum. Primi non ſunt in noſtra poteſtate, ultimi verò ſunt. Hinc Affectus alii ſunt Inconſulti, qui rationem præcurrunt & ſine aſſenſione ſunt; alii Conſulti, qui adhibito rationis judicio cum aſſenſu ſunt. Affectus Inconſulti ſeu motus primi vocantur etiam Affectus Præcipitantia; Affectus verò conſulti iterum ſunt vel domiti; vel indomiti. Indomiti vocantur Infirmiſſimi Affectus.

§. 26. V. Effectuum, in Perfectivos, qui ſubjectum ſuum perficiunt, & maximè naturales ſunt; ac deſtructivos, qui ſubjectum deſtruunt, & tantum non opprimunt; Suntq; non naturales illi, qui ex habitu aliquo vitiolo proveniunt.

§. 27. VI. Objecti, (1.) in Affectus Objecti præſentis v. g. lætitia; vel abſentis, ut triftitia, ſpes (2.) in Affectum determinatum vel ad bonum, ut Amor, gaudium; vel ad malum, ut odium, & triftitia. Loquor hic de bonitate & malitia, quatenus naturalem convenientiam, aut diſconvenientiam cum ſubjecto denotant. Et hoc modo objectum illud indifferens non eſt; Non enim niſi bonum appetimus, interim tamen ſi conſideretur in ordine ad mores, poteſt dici indifferens, prout à bonitate & malitia morali abſtrahit v. g. cibus, potus. Hinc alius Affectus, hoc modo quidem dicitur indifferens v. g. cupiditas cibi, honoris &c. cui deinde moralitas introduci debet, & tunc alii Affectus boni, alii verò mali evadunt, v. g. cupiditas cibi moderata, vel immoderata. Ab objecto moraliter conſiderato, alii Affectus dicuntur honeſti, ut Amor mutuus inter parentes & liberos, iſq; moderatus quidem; alii turpes; item utiles, ut Amor concupiſcentia, qui in contractibus dominatur; & noxii alii: alii deniq; jucundi, ut amor Amicitia, lætitia; & moleſti, ut triftitia. Honeſti & utiles in voluntate, jucundi in ſentiente facultate ſedem habent.

§. 28. VII. Affectuum, hoc modo, Affectus alii ſunt (1.) naturales vel non naturales. Ariſtoteles lib. V. Nicom. cap. 8. vocat naturales, qui ex natura conditione, omnibus æque inſunt



hominibus, quales sunt Amor, Ira, Metus &c. Non-naturales verò, qui ex habitu vitioso spontè contracto aliquibus insunt, quales sunt illi, qui ex habitu ebrietatis aut avaritiæ &c. proveniunt, ut nimia veneris cupiditas &c. & hi, non tam sunt Affectus, quàm vitia. Nec non illi affectus quorum ipsa nomina implicant pravitatem aliquam, ut loquitur Aristoteles, quales sunt invidia, *Ἰνvidia*. d) (2.) Simples vel mixti. Simples ab uno, objecto saltem dependent, & alium sibi admixtum affectum non habent; ut Amor, Gaudium, Spes &c. Mixti, qui ratione plurium, objectorum ex aliis constant, v. g. ira, Zelus, vid Sect. III. (3.) vel Indifferentes, qui neque boni neque mali sunt, ut cupiditas, potus; vel determinati, qui pro diversitate subjecti vel objecti, boni vel mali sunt vid. §. sequentem, itemque præcedentem 4.) vel Subtiles denique vel crassi; Illi resident in facultate interiore & rationali; Crassi verò in Inferiore appetitu & manifestam corpori alterationem imprimunt, ut Amor sensualis vide § 23. hujus capituli.

§. 29. IIX. Adjunctorum (1.) Alii sunt moderati, qui jam cum virtute conjuncti; vel immoderati, qui rationis imperio reluctanter; dicuntur aliàs virtuosus & vitiosus, boni & mali. Hic verò meminisse oportet; Affectus posse dici bonos & malos, non tantum, ex regimine rationis, verum etiam ex objecto, unde specificationem suam seu denominationem accipiunt, uti dictum est §. 27. hujus cap. (2.) Ordinati alii aut Inordinati, utriusque vel Physicè vel Ethicè vel utroque modo. Duplex enim iis potest inesse ordo, naturæ & virtutis, e) ordinati naturâ, ut quando motus cietur positus omnibus ad movendum requisitis; Inordinati verò, qui ex vitiosa subjecti aut se. suum dispositione v. g. ex morbo aliquo aut delirio proveniunt. Ethicè inordinati nihil aliud sunt quàm vitia ipsa (3.) ratione durationis, alii sunt momentanei & minus durabiles alii verò durabiles. Illi citò pereunt, *ὡς ἐν παροξυσμῷ*; Hi verò sive permanentes, qui semel inducti ægrè & difficulter expelluntur v. g. odium inveteratum (4.) ratione graduum intentionis, sunt vel lenes vel vehementes. Per benes h. l. non intelligimus ἡθῆ, quia

d) vid. Hornei. Philos. moral. lib. 2. c. 6. §. 12. p. 223. e) vid. Alsted. Pathol.



quia hæc ad naturam habituum magis accedunt, sed *παίθη'* etiam, si modo cum minori motu aut vehementia fiant. Fatendum enim est divisionem hanc differre accidentaliter saltem vid. §. 16. Sect. I. Unde non probamus illos Autores, qui *ἡθη* à *παίθησι* distinguunt ratione vehementiæ, melius faciunt illi, qui differentiam à diversitate personarum petunt. (5.) Ratione approbationis, quidam sunt grati, qui cidentur & consistunt cum voluptate propter objectum gratum; nonnulli ingrati, hi consistunt cum dolore propter objectum ingratum, dicuntur aliàs Affectus approbationis vel improbationis vide Sect. III.

### CAP. III.

*De*

## DIVISIONE AFFECTUUM IN CON- CUPISCIBILES ET IRASCIBILES IN SPECIE.

§. 30.

**D**ivisimus supra Affectus in Irascibiles & Concupiscibiles, quam distinctionem, cum variis difficultatibus laboret, & implicata sit, in hoc capite prolixius evolvere atque examinare, operæ precium existimamus, cum diversorum summorumque Philosophorum, diversæ sententiæ & opiniones id à nobis exigant.

§. 31. Explicatio verò hujus divisionis petenda ex subjecto ejusque distinctione, à qua nostra divisio hausta est, tres verò potissimum enumerentur sententiæ famosæ: Platonis alia, Scholasticorum, & Aristotelis alia.

§. 32. Sicuti verò Affectus denominationem suam maxime accipiunt ab objecto, ita & differentia in hac divisione ab eodem objecto desumi debet. Nobilis enim facultatum ab objecto distinctio est *a*) & in plerisque primas tenet. Verum enim verò objectum id ipsum est, quod toties penes Autores in controversiam venit, eosque tantum non in diversissimas traxit sententias.

§. 33. Platonem enim si respicimus, ille concupiscibiles Affectus ad plantas quoque relegavit, & ejusmodi objecta ipsis tribuit, quæ secundum Arist. brutis hominibusque communia esse

D 2

dicun-

*a*) Thomaf. Disp. II. Virtut. Cardinal. §. 17. not. 101.



dicuntur, Irascibilibus verò, quæ homini propria, Plato tamen illa brutis etiam affinxit. Nimirum bona seu voluptates corporis, & harum instrumenta divitias, *ἡδοναίαι*, *ἡδονή* verò circa ea bona, quæ ad animum magis pertinent, ut honorem, gloriam, Victoriâ, Potentiam negotiosum facit. Sed in hac re ex hypothesi, quam tenuit Plato, maximam lucem mutuari possumus. Et verò communis illa opinio apud Platonicos recepta, quæ putarunt, non animalibus solum, sed & plantis competere tum sensum, tum appetitum sensitivum, & consequenter etiam Affectus; Plantæ enim etiam animalia ipsis erant. Ex hac hypothesi, commodè dicimus objectum Affectuum duplex fuisse Platoni, Plantale alterum, alterum verò brutale.

§. 34. Plantale verò bonum dabat Plato, pro objecto Affectibus concupiscibilibus, & brutale *b)* quod brutis contra Plantas proprium est, Irascibilibus. Plantale verò bonum existimavit esse, cibum, potum, rem veneream & horum instrumenta divitias, quæ omninò voluptates corporis sunt; brutale autem victoriâ, honorem, gloriam &c. Nam in brutis animosioribus, ut equis & gallis, studium quoddam honoris manifestè animadvertere licet. Quam sententiam etiam secutus est Piccolomineus: Irascibilibus bona animi; concupiscibilibus verò bona corporis objecta propria facit, qui & Aristotelem in similem sententiam trahit, sed falsò, vide Piccol. prolixè p. 92. Ubi & differentiam aliam dat, inquiriens, concupiscibiles circa finem, Irascibiles verò, circa media, occupatos esse potissimum. Quæ sententia cum multis obscuritatibus laboret, à nobis meritò rejicitur; Plato enim ipse sibi non satis constat, cum ipsi idem sit *ἡδοναίαι* seu concupiscendi facultas, quod prosequi, & *ἡδονή*; seu Irascendi, quod averfari aut fugere; at verò prosequi, ad animi bona, & averfari contra, ad corporis mala applicat, in exemplo illo, quod Excell. Thomafius adducit in disputatione quadam, *c)* & habetur apud Platonem IV. de Rep. fol. 644. Leontius quidam injecta publicæ sententiæ cadavera simul gestiebat videre, (hæc curiositas sciendi, est bonum animi omninò) simul averfabatur (nausea verò ista rei foetidæ, malum corporis est, quod sensibus ingratum; sicuti illud intellectui jucundum bonum est.)

*b)* Thomaf. l. c. n. 109. sqq. *c)* id. l. c. n. 161. & 124.



§. 35. Altera est Scholasticorum sententia, *d*) qui statuunt, eos Affectus ad facultatem concupiscibilem referre debere, qui tendunt in bonum sensibile absolute, ad Irascibilem autem, qui in bonum idem feruntur, sed sub ratione arduitatis aut difficultatis, quam sententiam ure merito q̄ve refutat Piccolomineus, cum nulla efficaci ratione firmata sit; arduum enim & non arduum, five facile & difficile, non constituunt distinctum objectum, ad distinctam facultatem pertinens, cum magis & minus speciem variare aut constituere nequeant. Quid quod Aristoteles ipse doceat, animæ facultates, & consequenter ejus functiones etiam & motus, per objecta, fines & actiones, non per facile aut difficile distingvi debere. Hæc enim sunt differentia accidentales, non essentielles aut specificæ, ut rectè observatum est à Piccolomineo. *e*) Præterea Scholastici Aristotelem explicant, ad Platonis tamen mentem propius accesserunt; Bonum enim arduum cum brutali illo Platonis benè convenit.

§. 36. Tertia est Aristotelis, quæ cum illa divisione, quæ Affectus partiuntur, in Prosecutivos boni, & averfativos mali, coincidit vid. cap. 1 hujus Sect. Licet enim Aristoteles, nullo in loco, quantum sciri potest, mentionem injiciat hujus explicationis, nec determinet, qui ad quam facultatem pertineant. Magnæ tamen autoritatis Viri commodissimè videtur, concupiscibiles esse eos, qui circa bonum appetitui utriusque i. e. sensitivo & rationali, secundum nostram receptam sententiam gratum atque conveniens sunt occupati; Irascibiles verò, qui ad malum iisdem appetitibus adversum & inconveniens determinantur. Concupiscere enim est rem sibi gratam expetere; Irasci verò propulsare aut propellere molestam.

§. 37. Quæ sententia & interpretatio ad Aristotelem explicandum & intelligendum, magnoperè conducit, & potissimum in Ethicis usum suum, in virtutibus dijudicandis, habet. Hinc videmus Aristotelem nobiscum sentire in actu exercito, licet non in actu signato. Imò hanc interpretationem ab objecto desumptam, mirificè ejusdem objecti oppositio commendat. Opposita enim

D 3

*d*) vid. Stratem. Alsted. Frommond, &c. *e*) p. 48. vid. Dürr. p. 129. Instit. Ethic.



species variare in confesso est, ita ut bonum concupiscibilem, malum verò irascibilem objectum affectuum sui. *f)*

§. 38. Ex his verò non colligendum est, quasi hi Affectus Concupiscibiles & Irascibiles differant realiter. Discrimen enim hoc rationis esse ex Platone & Aristotele constat, quanquam ex illo obscure. Hoc quidem negare non possumus Affectus inter se aliàs differre realiter, quia sunt motus & operationes animæ. *g)* Atamen hi ipsi ex ea ratione, quâ concupiscibiles quâvè Irascibiles sunt, realiter non differunt. Sunt enim conceptus saltim rationis, qui discrimen in re non constituunt, cum Affectus ita dicantur, quatenus à concupiscibili vel Irascibili appetitu proveniunt, suamque appellationem accipiunt. *b)*

*f)* vide has sententias prolixius persequentem atque explicantem Excell. Thom. loco sæpè citat. *g)* id. Phys. c. 43. §. 15. p. 207. *b)* vid. Dürr. Probl. p. 98.

### SECTIO III.

De

## NUMERO ET SPECIEBUS AFFECTUUM.

§. I.

**E**xplicato specialis in antecedenti Sectione de divisione in Concupiscibiles Affectus, & Irascibiles, vel ob hanc rationem necessaria fuit, quod species Affectuum secundum illam judicari debeant, uti patebit in hac Sectione ultima, quam subijcimus. Esto igitur

### CAP. I.

## DE NUMERO.

§. 2.

**S**uper est adhuc explicatio de speciebus Affectuum, earundemque numero. Satis enim explicatum esse mihi videtur, in quantum ad naturam, definitionem, atque divisionem ipsorum pertinet.

§. 3. Consideratio verò numeri hujus magnis involuta obscuritatibus, nec non difficultatibus est, & ut Piccolomineus amat loqui; Perturbatio hydra est multorum capitum, nihil enim aut parum certi de numero Affectuum penes summos Philosophiæ Auctores plerosque, & si qui rationem ejus inierunt, ad modum tamen hæsitant diversissimis suis sententiis.

§. 4.



§. 4. Aristotelem si consulimus, atque evolvimus, nihil certi statuit, de numero lib. 1. enim & 2. Rhetor; admodum multos recenset, alibi verò hunc ordinem observat; Perturbationes, inquit, dico, cupiditatem, Iram, *Θυμὸν*, voluptatem aut dolorem. Ex his constat determinatum numerum Aristoteli non fuisse Affectuum.

§. 5. Similem in modum Plato neglexit eum, in Timæo quidem sex enumerat, voluptatem sc. & dolorem, tanquam Principia, quibus subjicit audaciam, & metum, spem denique ac Iram, alibi affirmat Categoricè Affectus esse innumeros, voluptates enim, inquit, & dolores, cupiditates, timores, innumeræ quidem sine nomine, nominatæ quoque permultæ.

§. 6. Galenus quinque enumerat ex veterum sententia Cap. V. Cap. III. verò dicit; perpeffiones animæ, quas omnes cognoscunt, sunt Excandescencia, Ira, Timor, Mœror, Invidia & Cupiditas vehemens, his accendet denique ex sua sententia, amorem & odium; Sed, si simplices enumerare voluit, non rectè invidiam inter eas refert, in super etiam insufficiens enumeratio est, quod ex oppositis neglectis videmus, sic Galenus quoque parum sibi constat, in Affectuum assignando numero. *a)*

*a)* De numero vide Piccol. prolixè gr. l. c. 10. p. 81.

## CAP. II. DE NUMERO CERTO.

§. 8.

Diversas iterum hîc invenimus sententias famosiores. Prima opinio duo genera Affectuum statuit, quæ Aspasi est, qui duas illas priores Perturbationes quas Plato recenset, pro communibus æstimat, ita ut ad has duas omne genus reliquum Perturbationum possit reduci. Quam sententiam prolixè refutavit Piccolomineus, *a)* & jure quidem. Aristoteles enim X. Nicom. c. 3 & 4. voluptatem non esse motum asserit, sed motum sequi posse, quatenus per motum aliquid nobis consequimur accommodatum, ut ex opposito confurgit dolor. Distingvendum tamen interim est, inter voluptatem propriè & impropriè sumtã. Aspasius in genere voluptatem

*a)* Piccol. ib.



tatem definit. Voluptas, est operatio secundum naturam non impedita, sed nimis arctus numerus est, a deo quæ adhuc confusus.

§. 8. Alii Amorem & Odium pro generibus numerant, quæ sententia non potest concedi (1.) eo quod quidam sint, qui ex Affectibus nominata genera planè excludant, & principia saltim Affectuum esse dicant, (2.) nimis latè horum significatio extenditur, ita ut nomine amoris, omnis Affectus concupiscibilis denotetur. Odii verò omnis Irascibilis, cui sententiæ etiam subscribere quodammodo videtur Piccolomineus. *b)*

§. 9. Altera sententia tres facit Affectus communes, quæ distinctionem desumit, à diverso actu, sive fine perturbationum, quem triplicem esse asserit; Animum enim tendere, vel ad apprehensionem, quod ei competit per voluptatem, vel ad fugam, quod facit per dolorem; vel ad repulsionem, quod per Iram assequitur. Hæc sententia, quam Turisano adscribunt Monacho, videtur in recessu quid habere. Potest enim confirmari per triplicem motum spirituum, insiti quæ caloris; hoc modo: spiritus in Perturbatione vel per Voluptatē effunduntur, & ad externa tendunt, vel interna repetunt per dolorem; vel partim ad externa referuntur pro repellenda injuria, partim ad interna, per conjunctum dolorem, ut illis evenit, qui irascuntur. *c)*

§. 10. Sed rejicienda cum aliis est, (1.) quia voluptatis & doloris vocabulum nimis improprie usurpatur. (2.) Species specialissima annumeratur ad genus commune, qualis est, ira quæ occupata est in reponenda injuria; verum Injuria, non est commune illud objectum malum, sed species mali (3.) ex probatis constat, Iram esse affectum mixtum. De compositis verò eleganter Piccolomineus: Mixtum & compositum non potest statui Genus, una cum componentibus, i. e. simplicibus, se haberet enim ac si inter prima corpora numerarem, elementa & mixtum. *d)*

§. 11. Tertia est famosior, & quatuor statuit communia genera Affectuum, quæ apud Stoicos recepta & vulgata nimis est, diversimodè tamen referri ab Autoribus solet qui eam recensent, & cum eis Cicero; voluptatem, dolorem, timorem, & libidinem, alii pro libidine substituunt spem. Et hos quatuor Affectus in  
certas

*b)* id. ib. c. 19. p. 102. *c)* id. ib. c. 18. *d)* ib.



certas classes distribuunt, quas objectum pro diversitate temporis suppeditat.

§. 12. Circa præsens enim, inveniunt bonum, occupatur lætitia (sive Gaudium vel delectatio, item voluptas certe sensu accepta) circa præsens malum tristitia (dolor) circa futurum bonum desiderium (cupiditas vel libido & secundum alios spes) circa futurum malum fuga (abominatio, item timor & metus. e) Hæc quatuor passionis expressit IV. Æneid. eleganter unico nec toto versu Virgilius:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

§. 13. Huic sententiæ etiam ad stipulatur, Fromondus; f) & illos in duas classes redigit; Alteram quæ bonum, & alteram quæ malum respicit, quam dichotomiam non improbo quidem, sed numerum diminutum & contractum nimis rejicio; Defendit quidem hanc suam assertionem laudatus Autor, distinguendo inter Affectus Principales & minus principales; reliquos appellat passionis minus principales, quibus annumerat etiam amorem & odium, dicens has ipsas non passionis esse, sed principia tantum, & rudimenta aliarum; Nos illas non excludimus à consortio principalium, cum æque simplicitate suâ gaudeant, atque illæ quatuor, à Fromondo recensitæ, atque ad has classes, absque ullo alio respectu aut conditione optimè referri possunt, divisionem, nimirum illam, quæ in Principales & minus principales, & illam, quæ in Simples & compositas dividuntur, habemus pro æquipollentibus, ut ne per distinctionem ac divisionem simplicium, à principalibus confusio fiat. Esse verò simplices, ex ipsius confessione colligimus, dum amorem definit: esse primam inclinationem, & simplicem complacentiam in bono secundum se, non considerando illud, ut absens aut præsens. Jam verò denominatio classium utrarumque, ab objecto simplici desumpta est, non à præsentia aut absentia ejus. Quid obstat igitur quo minus non hoc solum, sed & aliud par simplicium ad has classes revocemus. Sed prolixi nimis præter opinionem fuimus, ergo pergimus.

§. 14. Superfunt adhuc alii Autores, qui eundem quidem numerum retinent, sed species tamen diversas enumerant; ratio-

E

nem

e) Thomas, Phys. c. 48. §. 108. p. 257. f) From. l. 3. c. 9. art. 3. p. 737.



nem verò divisionis hujus, sumunt ab ordine seu processu motus, uti Piccolomineus facit. Datur enim, inquit, in quolibet motu ac in universo progressu perturbationū, principii, medium, & finis, in fine, pergit, non servatur motus, sed aliquid ex motu confurgens & possessio objecti. Huc refert voluptatem & dolorem. Propterea inquit, servatur motus solum à principio ad medium, & à medio ad finem, quæ statui possunt prima capita perturbationum; postea in duas partes fecat hunc progressum, principii unam & medii alteram, ad has revocat quatuor genera Affectuum, ita, ut Amor & Odium principii, *ἡδονή* verò & *θυμὸς*, h. e. cupiditas & animofitas (ut loquitur,) medii locum obtineant, & tandem in epilogo duo prima genera, Amorem & odium in utroque appetitu collocat; reliqua verò distincto appetitui adjungit, cupiditatem quidem cupiendi, animi vigorem appetitui Irascendi. Neque tamen in hoc ipso sibi satis constat. g)

§. 15. Sed hæc distributio nimis lata est, & ad illam communem divisionem Affectuum in concupiscibiles & Irascibiles recurrit, nec satis accurata est.

§. 16. Tandem etiam ad hanc Classem referre cogor Cajetanum, qui fundamentum suæ divisionis petit ab ipso motu, ejusque opposito, non privativo, sed positivo, & ad quatuor genera omnes reducit hoc ordine & serie; vel enim, inquit, dicunt motum ad bonum; vel motum à malo; vel quietem in bono; vel inquietudinem in malo. Quam divisionem reprehendere non valemus, quia ad sententiam nostram applicari potest, quamvis ipse ad Scholasticorum divisionem respexerit, quam nunc subicimus.

§. 17. Receptissimus in Scholis plerorumque quem Scholastici statuunt, numerus est, sex Affectus primarios in concupiscente, & quinque in Irascente collocantes, hoc ordine digestos, ut sex concupiscibiles occupati sint circa bonum, ut Amor, desiderium & lætitia; circa malum, odium, fuga & tristitia, quæ à se, invicem distinguunt, quatenus illud objectum, vel absens vel præsens est: Amor, inquam, est inclinatio ad bonum; desiderium motus, inclinationem sequens ad consequendum bonum absens;

læti-



lætitia est quies & possessio in illo bono præsentem. Ex parte contraria itidem, odium est declinatio à malo; fuga motus hanc sequens, quia quis à malo se distrahit; tristitia verò inquietudo quædam, in malo, quod effugere non potueris: Quamquam alii tristitiam, quietem dicant in malo, sed violentam, & ex adverso lætitia est, quies in bono naturalis.

§. 18. Quinque Irascibiles iterum objectum habent; vel bonum, ut spes & desperatio; vel malum ut Audacia, timor, & Ira. Circa bonum si apprehendatur, ut possibile spes occupatur, fin ut impossibile desperatio; versus malum autem, si futurum est, & agrediendum audacia; fugiendum verò timor; Sin præsens, ira. *b)*

§. 19. Sed licet Hi rem propius tangant, & numerum nobis quoque satis amplum admetiantur, quia tamen fundamentum principale, ab arduo & non arduo petunt, numerus nobis displicet, præsertim cum Iram inter simplices species referant, quæ tamen infima est & specialissima *1)* aliqua species, nihil præterea uti in priori factum est, huic speciei opponant.

§. 20. Cæterum dissimulandum non est, plerosque Eruditorum hanc sententiam amplecti, quod facit & Alstedius, Stratemann. Hornejus, & Dürrius, qui tamen fundamentum, divisionis principale rejicit.

§. 21. Numerum eundem retinet etiam Gutberleth in Patholog. sua, quam laudat Alstedius, ob elegantiam & methodum. Recenset autem Affectus à Scholasticis non nihil recedens, in hoc ordine 1.) tres approbationis, cum voluptate conjunctos, propter objectum gratum; hi sunt vel temporis simplicis, præsentis quidem lætitia; futuri spes; vel conjuncti, ut Amor. 2.) Octo improbationis, propter objectum ingratum: & illi sunt, vel simplices vel mixti; Simples objecto præsentem, aut in statu nostro malo, tristitia; aut in alieno malo, misericordia; bono verò Invidia; objecti futuri, metus. Mixti sunt vel ex diversis compositi, ut Ira & odium; vel ex oppositis *ζῆλος* & *ἰσχυροειδία*.

§. 22. Hæc divisio maximè probata videtur Alstedio, nobis tamen nec numerus, nec partitio placet. Nescio enim qua ratione

*b)* Thomaf. c. l. §. 109. sqq. *1)* id. ib. §. 138.



tione aliquot simplicium omittat, & vicissim addat alios compositos, & insuper eos annumeret, quorum ipsa nomina implicant pravitatem aliquam, quales sunt Invidia, *Ἐπιχαιρεκακία* & species infimas etiam, qualis Ira & Misericordia.

§. 23. Aliorum opiniones & numerum, ne nimitum crescat hoc pensum libentes omittimus ad nostram sententiam propius accedentes, qui aliorum desiderat sententias, consulat Alstedium, qui inter eos, qui quatuor statuunt non Stoicos, duntaxat, sed & Academicos Lactantium, Nyssenum, Augustinum, Prosperum, Hieronymum & Damascenum, numerat. Nemesius omnes ad quinarium reducit Affectus, Fracostorius decem sive undecim recenset, sed à Thomâ & Scholasticis in plerisque recedit. Cardanus viginti facit, totidem ferè Ludov. Vives, Sunt & alii, qui octo numerant.

### CAP. III.

De

## NUMERO SIMPLICIUM.

§. 24.

UT verò nos facilius feliciusque expediamus, non omnium Affectuum numerum hic comprehendere animus est, sed eorum tantum, quos simplicitas commendat. Hic præeuntem habemus Flaminium Nobilium, qui decem in universum numerat Affectus simplices, quinque circa bonum, circa malum totidem; priorem quinarium absolvunt, Amor, desiderium, spes, gaudium & gratitudo; Posteriores singulis iis affectus oppositi; Odium Amori, desiderio fuga, spei timor, tristitia gaudio, gratitudini denique ira.

§. 25. Sub divisiones verò, quas facit inter eos, retentis fermè ejusdem verbis huc apponimus; In bonis hanc seriem observat: Si res objecta, inquit, afferat voluptatem, excitatur in appetitu Amor; sequitur consequendi desiderium; inde spes; Quod si ea aliquando potiatur, Gaudium emergit; Gaudium vero est quædam facultatis appetentis quies in re exoptata; quod si rem, quam cupiit, alicujus opera acqvisierit, Affectio quædam innascitur, qua illi, à quo beneficium accepimus, gratiam referre cogitamus, & à nonnullis gratitudo vocatur.



§. 26. In malis eandem propemodum: ut, cum voluptate sensus afficiebatur, ex re consentanea, appetitus excitatus eam amabat, cupiebat, sperabat, possessa gaudebat, adjutori gratiam referre volebat. Ita rem à se discrepantem adeo prosequitur, fugit, ne vel in gratiis eveniat, timet, præsente tristatur, irascitur ei, per quem evenit *a*.)

§. 27. Hæcce partitio nobis videtur optima inter recensitas, nisi quod aliquid adhuc mutatum velimus, cum Excellent. Thomaf. in Physicâ.

§. 28. Denarium verò illum non immutabimus, cum maximè in delitiis sit orbi erudito, & Pythagoreis præcipuè, sed absit à nobis, ut hic suspicio superstitionis ullius in nos caelat, quasi pro perfecto illum veneremur, quod Pythagorei faciebant.

§. 29. Ex parte igitur immutabimus hanc divisionem Flamini, ex parte retinebimus. Ut igitur in denarium excre-scat numerus noster, postremos illos duos planè è numero simplicium exterminemus, cum constet esse species mixtas, & specialissimas. Gratitude enim beneficium, ut boni, ira injuriam, ut mali speciem respicit; hæc est cupiditas vindictæ, illa gratiæ referendæ.

§. 30. In eorum verò locum succedat aliud par, quod Flaminus omisit, desperatio nempe & Audacia, nihil enim impedit, quo minus simplicibus annumerentur.

§. 31. Illam verò divisionem generalem retinemus, ubi quinque ad bonum, & quinque ad malum revocat. Fundamentum enim nobis aliud non est, quam quod hic suppeditavit Flaminus, quia hoc ipsum, nostra illa communis divisio, in irascibiles & concupiscibiles, obtinet; subdivisionem autem, ex illa Scholasticorum petimus, præsertim cum Flaminus superficiale eam saltim dederit. Differentias igitur objectorum, in hanc seriem redactas accipe.

§. 32. Objectum erat vel bonum vel malum, utrumque ita se habet vel 1.) simpliciter, vel 2.) sub conceptu præsentia aut absentia 3.) absens iterum cogitari potest, vel ut possibile, vel impossibile; hanc appellare posses absentiam absolutam, illam verò secundum quid.



§. 33. Reductionem autem si instituere volumus, videntum est, qui Affectus versentur circa bonum & malum simpliciter, & cum indifferentia; quique circa illud cum addito, quatenus praesens vel absens est, in quo negotio Scholasticorum distinctio nos apprimè adjuvat.

§. 34. Ad bonum igitur simpliciter, reducimus Amorem, aut malum odium; ad bonum verò absens desiderium; ad malum abominationem sive fugam; ad bonum quatenus est praesens laetitiam, & ad malum tristitiam; rursus ad absentiam objecti possibilem boni spem; mali verò metum; ad Impossibile absens bonum, desperationem; malum audaciam, vel si, mavis, securitatem.

§. 35. Hic notandum est, impossibilitatem illam dupliciter posse considerari 1.) absolute. 2.) Secundum quid si priori modo explicas ita, ut malum absolute non possit fieri praesens, nec metuendum sit, etiam nobis otiosis, & nullis adhibitis mediis, securitas locum obtinet; sin posteriori, ut malum illud absens, nunquam fieri possit praesens, nisi secundum quid i.e. repugnando, mediisque adhibitis, audacia occupat. Hoc addere debuimus, ut scrupulus adimatur, cur decadem excurrat haec enarratio. b)

§. 36. Nunc facile ex praedictis patebit opinor, quomodo Affectus ad generalem divisionem illam reduci possint, qua mediante alii sunt Irascibiles, & concupiscibiles alii. Res cognitu facilis est, modo objecti ratio habeatur, ut illos, qui circa bonum ad concupiscibiles, & qui circa malum objectum versantur, ad Irascibiles reducamus.

§. 37. In facultate nempe concupiscibili, sedem habent; amor, desiderium, gaudium, spes & desperatio; In Irascibili odium, abominatio, tristitia, timor sive metus, & audacia denique vel certo modo, securitas.

§. 38. Operæ quidem precium esset, ad species specialissimas, descendere etiam, easque ad suam quamque classem redigere, sed cum nulla difficultate hoc, quicquid est, negotii, labore, superfedere hic animus est. Etenim, si Objectum est species boni, ad

Con-



Concupiscibiles reduc, sin mali ad irascibiles. De mixtis verò intricatior res est, ut & eorum qui bonitatem aut malitiam incurrun, sed hic aut à potiori fiat denominatio, aut ad utramq; speciem referantur, eâ tamen conditione, ut ne injuria fiat Classi nostræ simplicium. Sic iram ad concupiscibiles possumus revocare, cum fit cupiditas vindictæ, Est autem vindicta bonum vita jucundius ipsa ut Poëta ait, Inde etiam videmus, iram non solum esse affectum mixtum, sed etiam infimam speciem aliquam.

§. 39. Præterea hic notamus, quod reductio nostra ad concupiscibiles & irascibiles, non ex omni parte, uti quidem videtur, cum illâ Gutberlethi conveniat, quâ alii ad affectus approbationis, alii vero ad improbationis illos referuntur. Hoc autem fit, propter diversum objectum, Illi enim objectum est gratum & ingratum, nobis vero bonum & malum. Ab illo affectus possumus dicere gratos, qui cor dilatant atq; extendunt, & ingratos, qui constringunt & comprimunt.

§. 40. Gratos vocamus, Amorem, desiderium, gaudium, spem, audaciam, (vel securitatem); ingratos, odium, abominationem, tristitiam, metum, & desperationem. Faxit autem Deus ter Optimus terq; maximus, ut nunquam de salute nostra desperemus, in cujus gloriam & hæc nostra opella cedat.

b) ib. id. §. 137.

Tantum.





# ERRATA.

## SECT. I.

- §. 14. lin. 12. pro appetitus leg. appetitum,  
13. (b) Gnofol. leg. Gnostol.  
18 lin. 2. ex leg. Ex.  
19. lin. 5. ac an. leg. ad animæ.  
30. lin. 7. omnibus leg. ex omnibus,  
34. lin. 4. per leg. pro.  
47. lin. ult. affectu leg. affectus,  
52. lin. 5. illa leg. illæ.  
lin. 10. à suo bono leg. à suo malo,  
59. lin. 5. naturali leg. naturalis,  
60. lin. 1. hic leg. sic.

## SECT. II.

- §. 6. lin. 13. at leg. ac.  
7. (g) Barelajus leg. Barclajus.  
10. lin. 2. secundarium leg. quodammodo secundarium,  
19. l. 18. fitus leg. fitis,  
21. lin. 7. differunt. del. punctum.

## SECT. III.

- §. 1. l. 1. Explicato leg. Explicatio.